



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa VII. De Divo Apollinare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

PROSA SEPTIMA.

De Divo Apollinare.

ORATIO.



Umen illud fæmi-
neum, atque impo-
tenter iratum in fa-
bulis, Auditores, dū
asperrimis Herculem
imperiiis oneraret,
quodam quasi livore
intabescens, speciosis laudum præco-
niis Herculeam tandem patientiam,
vel execrando exornavit: id præ aliis
speciosissimum extat, quo Herculem
ipsum in magnorum victoria laborum
parentis sui Jovis cæleste genus præse-
tulisse, fateri quondam non abnuvit:
(a) *In laudes (inquit) suas mea ver-
tit odia, ac dum nimis seva impero, Pa-
trem*

(a) *Verba Junonis apud Senecam in Trag. Hercul.
Eurens.*

trem probavit. Fabulam veritati non secus atque umbram luci, & colori subservire in præsens cogamus. Sanctissimum Antistitem, atque Martyrem, beatissimum Apollinarem laudare ingredienti immensa mihi propemodum laudationum seges enascitur. Verùm ut plurima paucis, & maximum quiddam brevi vobiscum unà conficiam, illud ex omnibus lectissimum accipere visum est, vobisque in conspectum dare: Apollinaris verus Principis Apostolorum Petri Auditor, & Sectator, in omnibus, quæ fortiter gessit, aut fortius tulit, verè Præceptorem, atque Institutorem suum Petrum probavit.

Quantus sit Apostolus Petrus, ex ipso metiri planè fas esto Senatus Apostolici principatu, quo dignatus illum est verus ingentium meritorum æstimator, & donator Christus Dominus, is videlicet qui summis curandis, gerendisque muneribus pares animas & sapientissimus novit, & omnipotentissimus facit. Ut hanc tamen maximi Apostoli magnitudinem paulò explicatius metiamur, repetamus, quæso, memoria erectissimam illam (præfer-

tim post immissum è celo per igneas
linguas cælestem spiritum) Petri fidem,
ac fiduciam, illam animi præstantiam
spectatissimam, flagrantissimum illum
in magistrum Deum amorem, gene-
rosissimam propugnandæ religionis a-
lacritatem, & studium penitus admi-
randum, denique cruciamentorum, &
crucis æstuosissimam sitim. Hæc Petri
fuere; hæc ipsa Petrum fuisse, prope-
modum dixerim, quando ex virtutibus
animum, ex animo pensitare homi-
nem totum debemus. Agite igitur, ut
Beatissimum Antistitem, & Patronum
Apollinarem (quod hac mihi oratione
destinatum est) Petrum suum institu-
torem, agendo, ac patiendo expressis-
se videamus: quas prænotavimus Petri
virtutes, quantæ in Apollinare extite-
rint, speculemur. Pergite mecum ani-
mis, & itinerum ejus, & laborum, &
Apostolici, ut ita loquar, pulveris se-
riem ac tramitem tractumque univer-
sum cognoscite. Tu mihi in primis ve-
tustissima æquè, ac florentissima Urbs
Ravenna Apollinarem meum, atque
tuum prosequenti occurras; ipsoque
in limine, ac vestibulo ærumnarum
sua.

suarum talem, ac tantum præmon-
stras, ut jam Petrum in eo totum in-
telligam. Nimirum vix dum sinu tuo
exceptus Apollinaris jam disternare
procul infidentes Demonas medita-
tur, instanterque contendit; jam per
compita Apostolico spiritu, ac pede
discurrere; jam ferere in vulgus Chri-
sti nomen, & Christiani nominis dog-
mata; jam astu, atque arte Sancto-
rum Optimatibus tuis insinuatus eo-
rum animos demereri, eorum fensa,
& suffragia Christianæ causæ lucrari.
O sanè animam afflatibus divinis in-
stinctam; ò Ductore Deo, Doctore
Petro dignissimam. Ut planè innote-
scit, quàm efficax Dei verbum sit,
quàm prærapidum, quàm præpollens!
At si Christi Heroes, eorumque labo-
res, sine offendiculo progredierentur,
minor utique ad palmarum messem
eorum extaret felicitas: erumpant
proinde in medium calamitatum fu-
riæ; & qua data porta in Apollinarem
nostrum insiliant, eumque nobis to-
tum, totumque in eo Petrum exhi-
beant. Sentio Tartari potestates, &
satellites tenebrarum pati diutius non
posse

posse Apollinaris operam, ac profusos in Evangelii semente sudores. En ergo Idololatræ, atque improbi Sacerdotes ad conflandam Apollinari invidiam se, atque suos quàm versutissimè exacuunt, quàm improbissimè cohortantur. Primùm omnium ad flagra, & verbera iminentem Pastorem propellunt: expediunt virgas ad opus crudelitatis virgatores crudelissimi; certatimque in sanctissimum corpus invadunt. Sed tortorum fatigari potest impietas tormenta inferendo, fatigari ferendo Apollinaris pietas non potest. Mira itaque facientem, & mirificè patientem sequamur; patebitque ad liquidum, quantum animorum Christianæ religionis optima causa Defensoribus optimis largiatur.

Fama refert prænobilem virum Ravennæ (erat ei Bonifatio nomen) nativo linguæ impedimento expedire sermonem diù nequivisse. Id impedimenti, præpotens ad miraculum usque Apollinaris virtus evicit; quin etiam miraculo ut miraculum cumularet, viri ejusdem filium diu maligno Dæmone dominatum confestim majestate vocis
plus.

plusquam hominem sonantis resolvit ,
levavitque . Quid beneficiis hujusmodi ,
ac prodigiis Heroem præstantissimum
sibi paravisse putatis Auditores ? Illud
prorsus quod sibi humanorum om-
nium maximè , vel unicè pretiosum in
terris est , incommoda , criminaciones ,
insectationes , pericula , & supplicia . E-
tenim repugnantium Christo turbu-
lentissimorum hominum invidentia in-
de sibi opportunitatem fecerat in A-
pollinarem turbulentius sæviendi . Sic
quod Ignatio Martyri , id ipsum Apol-
linari Sanctissimo permissum divinitus
evenire , rem scilicet sibi esse cum Leo-
pardis ferocissimis , quibus & cum be-
nefeceris , pejores fiunt . Ecce igitur tibi
lictorum iterum manus , iterum flagel-
la in Apollinarem deprompta : at ecce
iterum Apollinaris plusquam ferrea ,
plusquam ænea , (dicam veriùs) plus-
quam , & aurea virtus ad tormentum
quodlibet depromptissima , & quæ su-
perare sustinendo possit cujuscumque
carnificis obdurato in pectore robur
quodcumque , & æs triplex . Christi
militem cædunt , dilaniantque carnifi-
ces ; plagæ ingeminantur , & vulnera ,
nec

nec jam membra, sed vulnera vulnerantur, cumque vix vulneribus locus superfit in corpore, superest tamen in animo, ac supereminet post lanienam solidissima Martyris tolerantia. Quare attonitos, at non edomitos habet tortores tantum hoc invictæ victricisque tolerantiaē spectaculum. Proh humanos animos, cum semel mancipati sunt vitiis, usque adeo ab humanitate degeneres! Proh impietatis, ac sævitiaē monstra contra pietatis, ac sanctitatis miracula!

Ne pigeat vos Auditores benignitatis vestraē quasi gradibus prosequi orationem meam; mecumque simul adesse Apollinari fortissimo, dum ulterioribus denuò suppliciis destinatur. Quandoquidem passus flagra, atque virgas superavit, impio iudicio sancitur, periclitandam ejus esse prunis, & ignibus fortitudinem. Verumtamen, nec novo isto, & crudeliore supplicio officis quidquam impietas; immo vel nolens, renuensque hoc assequeris, ut sibi magis sanctissimi Pastoris pietas proficiat: argumento sit, quòd illas inter prunas, ignesque conspicuos jam
jam

ne-
cus
in
am
are
or-
ue
na-
nt
ge-
tiæ
tis

ni-
qui
ul
ul-
r.
ue
ci-
&
L
io
el
ut
as
n-
m

jam præclarè factum videbis: Jussus ,
atque adactus impio mandato canden-
tes supra carbones Apollinaris incede-
re , incedit confestim præcipienti im-
pietati obsecundans in religionis , &
pietatis obsequium , in ipsius impietatis
opprobrium . At enim utrum ne focus
illis , ignibusque Apollinaris virtus ex-
hausta est ? an emollita constantia ? an
succussa vel leviter patientia ? Absit ,
ut Romana olim superbia suo in Scæ-
vola plus ostentare prodigii jactabūde ,
& fumosè inter illos adeo decantatos
ignes valeat , quàm Romana jam fides
in Apollinare suo veraciter , atque hu-
militer prædicare . Conspicite mecum
unà prodigium haud unum . Peram-
bulat Apollinaris ignitos supra carbo-
nes , nudisque plantis (si quid tamen
in eo nudum , qui suo totus Christo
indutus , qui Deo suo clypeatus totus
prodibat) nudatis , inquam , plantis
subjectos ardores proculcat ; nec queri-
tur , nec ingemiscit , nec trepidat .
O grande generositatis plusquàm hu-
manæ prodigium : at ò grandius pote-
statis non minùs , quàm divinæ mira-
culum . Non tantum certo , atque in-
ter-

terrigo gressu, sed impunè etiam, sed
 prunis etiam parcentibus; & rosarum
 in speciem vernantibus, ac rorantibus
 per supplicium suum latè spatiatur
 constantissimus Heros. Attamen nec
 tantum miraculi infringere potuit ob-
 stinatam tortorum crudelitatem. Quin
 etiam eò in Apollinarem sævire trucu-
 lentiùs fixum obstinatumque illis est,
 quò adversùs sævitiam pro Apollinare
 suo ad evidentius miraculum cælum,
 cælitesque depugnāt. Profuit ergo ignis
 ille Dei famulo, ut luculentiùs clare-
 sceret; at impiis tortoribus non pro-
 fuit, ut ad lumen ejus caliginem suam
 excuterent, fideique veritatem conspi-
 cerent. Voluisset, & id paterna Dei
 charitas, sed volenti charitati ipsa ho-
 minum illorum averfans, adversans-
 que improbitas repugnavit. *Ignem quidem*
(Augustini verbis ut eloquar) igne bene
utitur Medicus, pane autem sceleratè a-
butitur veneficus. Igne illo pedibus A-
 pollinaris substrato sicut ad Martyris
 patientiam illustrandam usus est Deus,
 uti quoque ad tortorum cæcitatem il-
 luminandam tanquam medicus opti-
 mus voluisset; sed tenebrarum, noctis-
 que

que suæ amatores teterrimi ex igne illo, illisque flammis plus adhuc hauserunt caliginis, & livoris; atque in beatissimum Martyrem ipso ignitorum carbonum lucidissimo testimonio commendatum violentiùs exarsere. Quid ergo calcato tam splendidè ejusmodi supplicio de Apollinare subinde factum censetis? Videte humanæ, immo plusquam inhumanæ feritatis portentum. Longè gentium eliminandum à se strenuissimum Martyrem statuunt iniquissimi homines, velut hominum communi consortio, & commercio indignissimum.

Verùm eliminatum, atque expulsam prosequi adhuc suspiciendo, mirandoque nos juvat. In Æmiliam progredientem intueor; atque inibi protinus perillustri miraculorum commendatione, nominis, ac virtutum ejus celebritas circumquaque increbrescit. Ferunt, Rufini eo locorum nobilissimi inter primos viri jam extinctam filiam, ab Apollinare auris vitalibus restitutam. Edoctus universa cum domo tanti magisterio miraculi Rufinus, eam intrepidè profiteri religio.

gionem est ausus, quàm Apollinaris
 tradebat. Hinc porrò invidiæ, atque
 odiorum; hinc calumniarum, atque
 minarum nova in Apollinarem agglome-
 rata tempestas. Etenim continuò
 Præses veritati, ac prodigiis incredu-
 lus Apollinarem accersit, ferociter in-
 crepat, supremoque capitis intentato
 discrimine eidem denunciat, ut vel non
 vivendum sibi in posterum intelligat
 esse, vel à Christiani dogmatis doctri-
 na, & prædicatione absistendum. Im-
 probæ, & nefariæ voces incassum jactat.
 Nam Heros imperterritus, atque A-
 postolicis sensibus, animisque instru-
 ctissimus quod olim ab Apostolis usur-
 patum fuerat, secum itidem reputans,
 infinitis partibus præstabilius esse de-
 cernit Deo quàm hominibus auscul-
 tare. Gestit proinde vehementiùs ur-
 gere instituti, & consilii sui rationes.
 Huc, illucque rapidissimè, atque ar-
 dentissimè pervolat; Christum ubique
 deprædicat; ubique Christianorum
 dogma propugnat; redarguit ubique,
 & refellit idolorum ludibria, idolatriæ
 mendacia. Quapropter ut ingentem
 ipse animum, fideique amplificandæ

in.

interminata cupiditate exæstuantem
contrahat aliquando, comprimaturque;
affectum ærumnis, laboribusque cor-
pusculum eculeo insuper distentum
volunt hostes acerbissimi. Porrecta igitur
ad terrorem pænalis machina com-
paratur: admoventur Christi Athleta:
jamque distorqueri incipiunt lacerto-
rum compages, jam artus, & membra
divelli: jam omnis nervorum structura
dehiscere. Quid pluribus? totum fer-
mè corpusculum restibus, ferreisque
catenis in diversa trahentibus quassa-
tur, dilaceratur, dirumpitur. Nihilo
secius integer animus in magno mensis
culmine sibi, Deoque suo constat se-
curus. Distorquere possunt tortores,
divellere possunt, ac lancinare quod
Sanctissimi est Martyris, carnem, ar-
tus, nervos, totam ipsam corporis mo-
litionem; at quod ipse potissimum est
Martyr Sanctissimus, ob statu dimo-
vere non possunt: etenim ea ipsa in pe-
tra Discipulus fidelis subsistit, supra
quã summus omnium Magister Chri-
stus Ecclesiam suam ab se extruen-
dam prædixit idem ipse atque extruxit.
Hoc enimverò perquam dignum An-

ge.

gelis, ac Deo spectaculum est: hic religionis triumphus; hoc decus, hæc pompa Catholicæ veritatis. Distractis eculeo membris perstat in proposito Martyr, atque inter crebras adeo lacerationes in arcano sui cordis recessu intactus, intactusque inhiat adhuc plura, adhuc immaniora supplicia; & quidem inhiantis animi votis annuunt extemplò facilitate, & largitate nequissima Judices detestandi. Imperant, conscissis in rimas, & vulnera membris ferventis aquæ tormentum penetrabile superfundi, ut novorum accessione tormentorum tormenta vetera recrudescant. Imperata tam crudeliter crudeliùs capessunt, & crudelissimè facessunt Carnifices. Succensis focis athena certatim parantur. Affunditur ingens aquarum vis, ut suppositis ignibus effervescat. Verùm, & huc referre ea divini oraculi verba in Apollinaris honestamentum liceat: *aque multe non potuerunt extinguere charitatem*. Sive algeant humores illi, sive ardeant, tepere, aut torpere omnino ipsos oportet, quoties longè majoribus, melioribusque labefactandis Apol-

eli-
næc
ētis
lito
ice-
in-
huc
&
nu-
tate
pe-
ra
um
um
ve-
cru-
elif-
nſis
un-
ſitis
re-
olli-
qua
ari-
, ſi
ni-
ori-
A-

pollinaris ardoribus adhibentur. Num
aquam, atque ignem, duplex perituri
mundi elementum expaveat qui ele-
menta univerſa, qui univerſum mun-
dum, & quidquid ſupra, quidquid in-
fra objectaverit ſeſe, ad pulcherrimum
certamen laceſſit pro fide, pro religio-
ne, pro Deo? Spectarunt jam cæcu-
tientes impietate ſua Judices, ac tor-
tores tam imperviam omnigenis cru-
ciatibus firmitudinem. Quapropter ne
ulterius tot in adāmantinam animam
allifa tormenta aut retundantur, aut
deperdantur, ſat ſibi bene conſultum
autumant dementiſſimi homines, ſi
Apollinarem ob ſe longiſſimè ejiciendo
in exilium exturbent. Ejicitur ille,
ſed idem pariter volenti, libentique
animo excedit: excedit ab impiorum
hominum aſpectu, à nefariorum allo-
quio, à ſacrilegorum frequentia, ab
implacabili perfidioſorum immanitate.

Perge exul egregie, & quacumque
perrexeris, Chriſtum Servatotem cir-
cumſona, Petri ſapientiam, doctri-
namque diſſemina, exteris gentes, &
nationes longinquas Evangelii ſenſi-
bus imbue: tui quippe & muneris, &
mo-

moris fuerit terras quascumque virtutibus, hortatibus, monitis, miraculis & (ut semel dicam) Apostolicis vestigiis peragraré.

Quid hoc interim rei est, quod videre videor Auditores? Naufragium passus Apollinaris sospes in Mysiam transmittit, mox in Danubii ripam exponitur: postremò venit in Thraciam. Exul ubique, re tamen vera nusquam exul, etenim vix ullum exilio vacare angulum finit explicatissimus virtutum ejus rumor, prodigiorum ejus fulgor, Apostolici pectoris amplitudo. Præ multis aliis conjecturam unam hinc ducite: Diù Serapidis in templo improbus Demon divinitatis honores rapacissimo ambitu conquirens mendacissima in vulgus oracula venditabat. At dum Apollinaris illic versaretur, professus ille palam est; sese fundendis oraculis absternitum, & silere prorsus compulsus. Novæ hac de causa seditiones coortæ Christi Martyrem adegerunt, ut loco illo decederet. Duce igitur, atque auspice superni Numinis providentia post innumera itinerum, viarumque divortia Ravennam denuò

Apol.


Apollinaris revisit. Liberet hinc tantam lucem Urbi fortunatissimæ reducem gratulari; sed illa idolorum, atque errorum suorum caligans in tenebris cum tantam sibi affulgentem lucem non internoscat, rursus furore, odiisq; sacrilegis in optimum Pastorem invehitur. Cui proinde gratulationes, cui acclamationes, cui triumphalem plausum adornem, nisi tibi Martyr fortunatissime, propugnator fidei invictissime, Principis Apostolorum auditor, & imitator sapientissime? Jam aspiciamus iterum procul à civitate, procul à civibus iterum abeuntem, fustibus iterum, flagrisque cruentum, ac propè interemptum aspiciamus, Auditores; nec tamen (quæ ejus est animi firmitas, atque inaccessa malis omnibus bonæ mentis fiducia) nec tamè à fervore apostolico temperantem: Exanguis, ac penè exanimis supremos inter anhelitus jam laborat, & nihilominus in vinea Domini laborat adhuc, æstuatque hortando, arguendo, increpando, obsecrando. Æternis intentatis suppliciis exterret salubriter animos; præmiis denunciatis æternis vitaliter eosdem inflammat. Iratus in

D idola

idola excandescit ; mox in indolem nativæ facilitatis recipit sese ; tum Christi fidem, & crucem, obitamque pro humano genere mortem ad credendum, ad sperandum, ad amandum tempeſtiva cum ſuavitate reponit. Hæc inter munia, atque verba, hac apoſtoli laboris ſolicitudine, hac Chriſtianæ militiæ agitatione, hoc certamine, hoc pulvere feliciter Apollinaris perfunctus mortalis vitæ curriculum apoſtolico exitu feliciffimè coronavit.

ſpectaſtis, opinor, mecum quàm conſtanter in vita, totiſque itinerum, ac laborum ſuorum jactationibus & quàm fidelitèr Petrum ſuum expreſſerit maximus hic Petri diſcipulus: ſpectaſtis tantum ejus in moribus, & operibus Doctore, & Magiſtrū. Uno verbo: ſive ageret Apollinaris, quæ mortalibus prodeſſent, ſive ab infēſis mortalibus pateretur adverſa, ſeu miranda patraret, ſeu ſubiret horrenda, ſive per vitæ viciffitudines, ſeu in extremis vitæ momentiſ ſpectaculo nobis fuerit, profectò ſemper, & ubique ſuum nobis Petrum probavit. O utinam Præſul ſanctiſſime, quandoquidem tua omnes tutela,

na. tela , (a) tuisque auspiciis hinc tegimur ,
 hri. utinam nobis omnibus , religioni , at-
 pro. que Ecclesiæ per Ecclesiasticos ordines
 en. ritè , ac persanctè juratis , tuam istum
 n. tam constantem in Petri mores amo-
 læc. rem , tuumque in Petri virtutes stu-
 sto. dium tam efficax , atque imitationis
 næ. calorem singularem , ex isto , ubi nunc
 hoc. beatissimè flagras , beatarum flamma-
 tus. rum sinu cælesti latè dispertias , & ef-
 ico. fundas . Enimverò si tam salutare ex
 àm. patrociniū tui umbra capiemus auxi-
 m. lium , non vana , nec sterilis tua nobis
 & umbra ; sed qualis jam olim tui Petri
 ste. aderat umbra alienis languoribus , ta-
 sta. lis & umbra tua aderit nobis ; nosque
 bus. deinceps ab illa ad patrios Septentrio-
 ive. nes decertaturi adversus Lutheranam
 ro. Hydram catholicè eruditi , apostolicè
 te. fervidi , romanè fortes redibimus .
 et ,
 vi-
 no-
 fe-
 Pe-
 an-
 tu-



D 2

PRO.

(a) *Hæc orat. Habita fuit à quodam Alumno
 Coll. Germ. Hungar. ad Domesticum Auditorium.*